7457 litteris magnis. Cefalù in ecclesia cathedrali, ubi sellae episcopi latus dextrum hoc saxum efficit; maior pars inscriptionis cum ita lateat, mea causa effecerunt amici, ut lapis retectus lumine admoto legi posset.

EXEMPLVM · CODICILLORVM ·
HAVE · MIHI · DOMINE · PATER ·
VALE · MIHI · DOMINE · PATER ·
CVM · AD · TE · HAEC · DICTAREM · INFELICIS
5 SIMVM · TE · AESTIMAVI · VT · ERAS · CVM · ME ·
HOC MITTERES PETO VT · MONVMENTVM
MIHI · FACIAS · DIGNVM · IVVENTVTI · MEAE
A TE PETO EVTYCHIANVM ALVMNVM
MEVM · MANVMITTAS · VINDICTAQVE
10 LIBERES · ITEM · APRILEM SERVVM · MEVM
QVI SOLVS EX MINISTERIO MEO SVPERAVIT
sic SCRIPSIT XV · KAL · APRIL SIRMI
L · CALPVRNIO PISONE P SALVIO IVLIANO COS p. C. 175

Recognovi. Principium dederunt cum Auria cod. bibl. civ. Panorm. Qq D 166 et *origine di Cefalù* (1656) p. 39 (inde per Mongitorium et Comum Mur. 493, 13; per Mongitorium Dorville Sic. p. 587) tum Torremuzza XX, 22 = 20 et ex Auria et ex lapide quem vidit et excripsit 21 Apr. 1766. Hic cur inter falsas posuerit, ipse opinor nescivit. Retecto marmore totam edidit Angelus Gallo *giornale delle scienze per la Sicilia* 14 (1826) p. 216, ubi p. 218 marchio Haus restituit. Inde Orelli 4359.

Exemplum codicillorum. Have mihi, domine pater; vale mihi, domine pater. Cum ad te haec dictarem, infelicissimum te aestimavi, ut eras, cum me hoc mitteres. Peto, ut monumentum mihi facias dignum iuventuti meae. A te peto Eutychianum alumnum meum manumittas vindictaque liberes; item Aprilem servum meum, qui solus ex ministerio meo superavit. Scripsit XV kal. April. Sirmi L. Calpurnio Pisone P. Salvio Iuliano cos.

XXIV. HALAESA (*Castel Tusa*).

(Cf. C. I. Gr. 5594—5600 cum add. p. 1250.)

Ἅλαισα[1]) Ἀρχωνίδειος (sic pleno nomine Diodorus 14, 16, ubi id interpretatur, item nummi inscripti ΑΛΑΙΣΑΣ ΑΡΧ), Latine *Halaesa Archonida* (sic nummus ineditus musei Berolinensis, ab una parte habens caput Augusti cum adscriptione HALAISA (sic) ARCHONIDA, ab altera inscriptum M·PACCIVS MACXV[2]) FLAME A/G, ut A/G vocabulum in medio nummo legatur corona circumdatum; item nummi catal. mus. Brit. numm. Sicil. p. 28 n. 15—17 inscripti *Halaesa Arc.* et *Hal. Arc.*), plerumque sine cognomine (Cicero Verr. l. 2, 75, 185. 3, 73; Diodorus 23, 4; Silius 14, 218; Ptolemaeus 3, 4, 3; Peutinger.; Ἅλαισα plur. neutr., si lectio vera est, Strabo 6, 2, 3 p. 266. 6, 2, 5 p. 272; *haleso* male itin. Ant. p. 92), ethnicum faciens *Halaesinus* (Cicero passim) ubi fuerit praeter itineraria docuit titulus C. I. Gr. n. 5595 a populo τῶν Ἀλαισίνων dedicatus repertus ad S. Mariae de Palatio prope Tusam. Haec ut prima civitas fuit, quae bello Punico primo Romanis se permitteret (Diodorus 23, 4), ita propterea ab iis libertatem et immunitatem abstulit (Diodorus 14, 16; Cicero Verr. 3, 6, 13); floruisse eam ante imperatoriam aetatem commercio praeter auctores titulus quoque n. 7459 testatur unicus qui nobis remanserit aetate liberae rei publicae ab Italicis in Sicilia dedicatus in honorem praetoris Romani. Municipium factum est imperante Augusto teste titulo n. 7458, scilicet cum Siculi omnes ad civitatem Romanam pervenerunt; duoviros praefuisse nummus ostendit (cat. mus. Brit. Sicil. p. 28 n. 16) inscriptus *Hal. Ar.*) (*Caec. R. IIvir.* Postea elanguit, apud Plinium 3, 8, 91 inter vulgares reiecta et πολίχνιον dicta Straboni.

1) Aspirationis in Graeco nomine certa testimonia non repperi potuitque ea addi a Latinis ut in *Herucinus, Helpis.* Diphthongum editiones tam Graecorum quam Latinorum scriptorum passim in *e* commutarunt, numquam in ea peccant tituli nummique.

2) Sic nummus; *Macxu(mus)* scribitur, ut non raro, quamquam vix in titulis huius aetatis, legitur *ucxor.*

7458 ad S. Mariae de Palatio GVALT. — Sine loco AVGVST.; Thermis MVR. errore.

IMP ▲ CAESAREI ▲
DIVI ▲ F ▲
AVGVSTO ▲ P ▲ *p*
MVNICIPIVM ▲

Ant. Augustinus cod. Matr. f. 29; Gualterus n. 139 = 299 (inde Mur. 220, 6; Torremuzza *storia di Alesa* 1753 p. 72. 149, Sic. IV, 1), qui in ed. 1 videtur dedisse ex schedis Augustini similibus, in ed. 2 ex lapide. Quod ait idem Torremuzza *diss. sopra una statua scoverta in Alesa* (1749) p. 21 et *storia di Alesa* (1753) p. 149: '*vedeasi in un grande intaglio di marmo ne' tempi andati fra le rovine di Alessa scritto a grosse lettere:* MVNICIPIVM ALAESINVM' venit sine dubio ex narrationibus eorum qui lapidem vidissent memoriter traditis.

3 AVGVSTO▲P▲ Aug. et Gualt. ed. 1, AVGVSTO▲PO.. Gualt. ed. 2.